

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 22. (*Neovidensis* 1808. Nro. 21.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
et vita functos*

Lazarus Spalanzani ex Campis Elysiis — ad
quemdam naturæ scrutatorem Germa-
num, in mundo sublunari.

Elysium-Meum.—Die Martis. 27 Mart. 1808. (*Neov. II. Mar. 1808.*)

Quod vita comite mente assequi non potui,
id de præsentis meum sollicitum tenet animum
ad has beatorum sedes translatis; scire voles
dilecte Amice! quod curiositatis meæ nam ar-
gumentum sit? verum primum adnotare tibi
debeo: te hodierno tam illuminato, quod au-
dit, seculo, id effectui dare, super quo jam an-
nis ante vicenis elegans propositio facta est,
quod advertendum mihi fuit, ut legitimum mihi
constet Collegium, quod adpellare possim. En
summam memoratæ propositionis: —

Dominus de la Blancherie Doctor Gallus pla-
num elaborabat:

Universalem Scientiarum Cancellariam erigendi.

Hoc ille Planum Academiae Scientiarum
Parisiensium examini substravit.

Nos consilia, relationes, atque internam
hujus memorabilis propositionis constructio-
nem non meliore ratione explicare posse cen-

semus, quam in apricum profereudo Sententi-
am, a Clarissimis quatuor viris, quibus dis-
isitio negotii credita, in Academia prolatam,
quæ sic habet:

„Erga mandatum nobis ab Academia da-
tum: ut intuitu Plani *D. de la Blancheri*, univer-
sale commercium litterarium in argumento eru-
ditionis artium & litteraturæ erigendi, hocque
medio omnium provinciarum doctores, & ar-
tifices mutuo nexu colligandi, atque de Insti-
tuti hujusce utilitate publicam quavis altera
hebdomade edito scripto sub nomine: *Nova
eruditorum & artificum respublica* rationem red-
dendi relationem præstemus; nos huic delatæ
nobis provinciæ satisfacturi, memoratum *pla-
num* nobis substernendum, nosque non modo
intuitu mediorum illud in effectum deducendi
adcurate certiores reddendos curasse, verum
& hebdomadariis Conventibus ab auctore in-
stitutis sub nomine: *Conventus Eruditorum rei-
publicæ* — ipsos interfuisse.”

„Re vera Eruditos artifices, & artium cul-
tores in cunctis speciebus, et ex omnibus
ferme Europæ partibus in his Conventibus
conspeximus; perlustravimus litterarium Do-
mini de la Blanchieri commercium; omnino
fatendum est: ab eo immensam temporis vi-
riumque vim impensam fuisse, Dominusque
de la Blanchieri specimina editi promptitudinis,
& amoris in scientias, qui prout rarus est,
ita litterarum artiumque progressui non pot-
est non sumo pere esse salutaris.“

„Memorati Conventus, qui cuivis peregre proficiscenti selectioris *conditionis cuivis* erudito, artificio, aut artis peritopatent; memorabilis historię articulus habentur. Dum ex una parte omne quod potest, emolumentum ex peregrinatione in Galliam, aut ipsas etiam exteras oras, ad quas litterarium *D. Blanchieri* commercium se extendit, percipitur, alia ex parte id accedit commodi secundum *D. de la Blancherie* relationem: quod quæcunque in aliis Statibus eveniunt, intelligantur, atque cum peregrinantibus artificibus notitia contrahatur.”

„In summa: Domino auctori Jure optimo, ob Institutum, quo semet quasi Generalem Agentem in regno artium, & scientiarum constituit, omnis honor & protectio tribuenda est. Datum in Consessu Academiae scientiarum Parisiis 20 Maji 1778. *Franklin. Le Roi. Marchio Condorcet. De la Lande.*

Quod si planum aliquando in effectum deductum, atque *universalis Scientiarum Cancellaria* erecta fuerit, eotum sequens argumentum apud animum expendendum precor.

Stupeuda res videri debet, dum diversi gradus sollicitudinis parentum in proles expenduntur, in quantum ea ad posteritatem reliquendam refertur. Aliqua animalia ova sua locant fortuito, neque perpendunt, ultra, quid iis fiat, uti Insecta, piscesque; alia mitioris paullo sensus; commodius quæritant hospitium, quo ea reponat, ibidemque relinquunt; ut sunt: serpentes, Crocodili, & struthiones; sunt denique, quæ ova excludunt,

prolisque suæ curam gerunt, usque semet
suis viribus sustentare valeant.

Quem, amabo, magistrum assignare poterimus, qui quamvis avium speciem nidum suum secundum suas definitas regulas instruit, conclavia ovorum uniformi ratione formaque construendi? imitatio profecto esse nequit, quippe etiam si Cornia in societate gallinæ excludat, & nunquam cornicum nidum videat, nidum nihilominus, quem construit eadem cum reliquis suæ speciei ratione, a gallinæ dissimili, utpote super palo ædificatura est, neque *ratio* esse potest, quod si enim animalia hac in tanto gradu prædita forent, quo homines, eorum conclavia suatam diversa, quam nostra essent, prout jam hanc, jam illam commoditatem pro fine haberent.

Ast — audire videor jam quæstionem a me propositam a te convitio laccessi — quid, ais, ignorat Spalanzanius: ut quævis animalia agant? an solum eum latet: cui resistere nequeunt, & necessario parendum habent, *instinctus*? ita sane est: *Instinctus! instinctus!*

Et ego reddo Amice! ex argumento, quod in universali scientiarum Cancellaria pertractandi consilium habeo, consecrarium suapte natura secutumum: bruta majorem artis Instinctum habere, quam ferus & culturæ expertus, homo — quippe hic ædes sibi struere nescit, & generationes ferorum perire est necesse, usque memoratarum Cornicum architecturam assequantur.

Interim fateri debeo: me sensum genuinum nominis *Instinctus* non satis assequi — an tibi amice dilecte! animi mei sententiam dicere licet? Equidem *Idearum innatarum* doctrinæ adstipulor, ad eum modum, quem divus *Plato* olim docuit. Id quod tu *Instinctum* adpellas, sunt *innatæ* ab auctore naturæ cum ipso vitæ principio animantibus insitæ & inditæ *notiones*: alias qui fieri posset: ut cornicula nidum nunquam ante a se visum struere calleat? quomodo instinctu pollere dici posset? quamobrem dico: instinctum idearum consecrarium esse.

Et quam excellenter *Plato* hanc explicat veritatem! ideas innatas notiones mentisque operationes esse; quæ, in statu quodam priore & ante, quam anima corporis subiret compagem, ex reali objectorum conspectu aquisitæ sunt, memoriæque concreditæ; per ingressum solummodo animæ in ergastulum obscuratæ ea tamen ratione: ut per adstrictionem mentis facultatum ex obscuritate, qua tegebantur, in claram rerum cognitionem rursus converti, & resuscitari valeant; quare ei omnis inventio sola reminiscencia est, atque ideæ innatæ attributum animæ proprium. Secundum hanc Theoriam anima senior est corpore, multo nobilior perfectiorque adeo: ut cum ipsa Oeconomix hujus universi creatione omnes animæ primam existentiam suam obtinerint, suasque vires explicare non ante poterint, quam ad id opportunis organis providerentur,

Aristoteles Platonis discipulus ideas innatas rejicit, quoniam animarum præexistentiam, præprimis in rationalibus proprietatibus non agnovit, sed rationem corpori per separationem particulæ ex quinta divina, & calida lucis substantia conjungi adstrueret; secundum quam opinionem docebat: mentem esse *tabulam rasam*, in quam cognitiones per sensus primum externos imprimerentur; peculiariora hujus asserti probandi argumenta non texit. Ei Stoici & Epicurei adhæserunt, sed quomodo? nempe: *Jurarunt in verba magistri!* sine argumentis, absque rationibus! egregia demonstratio veritatis! —

Ita res se habuit usque *Cartesium*, qui Causam Idearum innatarum denuo propugnandam suscepit; ea ex præcipua ratione: quod fieri haud posse ei videretur: ut ens perfectum, ut anima nostra est, notionem entis omnium perfectissimi, id est *Dei* concipere & adprehendere valeat, si ab ipso naturæ auctore indita & insita non foret. *Clariss. Lockius* & post eum *Leibnitzius* propugnandas susceperunt innatas ideas, atque *Cartesii* dogmati adhæsere, at quid eo factum? dari aut non dari ideas innatas apodictice confectum est, & actutum in scirpo nodum quaritamus. —

Et jam nunc comparet *Gallius* cum sua *Chranilogia* contenditque: quinos sensus non esse sola Instrumenta perceptionum, & sensationum nostrarum; animantia bruta eosdem atque habere sensus quibus pollemus, imo

quædam ex iis præstantiores; verbi gratia visus, olfactus, auditus, & tamen bruta non habere tantas Ideas, non tantas facultates quas homo, hic proin facultate gaudet, quæ sensus excedit, eosque moderatur — ratio, quæ sedem in anima habet, non habet Tabulam rasam, verum anima ad excitandas præexistentes notiones medio organorum Cerebri irritatur — ex quo consequitur: dari ideas innatas.

Sed quorsum me nidus Cornicis deduxit? O homo miserande! quid tnum est scire? *Cœlum ipsum petimus*, abdita deitatis scrutari volumus! *Stultitia!* humum retinete, nidum scrutemini! satius est.

Hæ dilecte Amice! meditationes mæ, — quas universali Scientiarum Cancellariæ, si ad perfectionem deducta fuerit, substernendæ votum est. Nidus Cornicis, & ideæ innatæ! & — sed manum de tabula — Salutem meam summa cum expectatione! —

PS. verbo solo *Instinctu* nequaquam me convinci sinam. Quod bene notandum.

B I O G R A P H I A.

Lazarus Spallanzani Abbas & Professor Historiæ naturalis Paviae, antea Reggii & Modenæ plurium eruditarum tam domesticarum quam exterarum Societatum membrum. Ejus tentamina in materia digestionis Ciborum super propagatione ranarum, ejusque animadversiones in vespillonibus proprio sensu, notatu dignæ sunt; per itinera sua (*Viaggi alle due Sicilie e in alcune parti dell'Appennini*) quæ in germanicum etiam traductæ sunt, naturæ scrutatoribus insigne mu-

nus praestitit, sunt ea plena novis, scitu dignissimis observationibus, atque geologicis mineralogicisque controversiis respersa. Supremum diem obiit nocte diem 10 & II. Febr. 1799 iutcrcedente, aetatis 71 Anno.

Boerhave (Hermannus) Clarissimus Medicus Hollandus natus 31. Dec. 1666. Voorhutii prope Leodium; primo Theol. operam dedit, tum Medicæ & Philosophiæ Medicinæ Doctor An. 1709. Professor Medicinæ & Botaniciæ 1714 practiciæ Medicæ 1718 Chemicæ Cathedrae admotus est. Erat membrum tam gallicanae quam Anglicæ Academiae scientiarum & Leodii 23. Sep. 1738 supremum diem obiit. Boerhavius discipulis suis, quos frequentissimos ex omnibus Europæ partibus numeraverat, lectionem veterum impense commendavit, secutus ceterum sectam Mechanicorum, scientiamque nostram physica multo adhuc imperfectiorem tenebat, quam ut in praxi medica cum certitudine quidpiam ei superstrui possit. Ejus praecipua opera sunt: *Institutiones medicæ, Aphorismi de cognoscendis & curandis morbis. de viribus medicamentorum. Institutiones & experimenta Chemicæ &c.* Biographiam ejus Albrechtus Schultens peculiari dissertatione Leodii edita 1738 prolixe complexus est.

Kunkel. (Joannes) Celebris Chemicus seculi 17. circa 1630 in Ducatu Slesvicensi primam lucem aspexit. Ejus practica Chemicæ & mechanicae nominis gloriam ei conciliaverat, praecipue ope fornacis vitrae memorabiles in Chemicâ fecit detectiones atque apud diversos principes, ut: Electorem Brandenburg., tandem Carolum XI Sveciæ Regem Chemicæ munere functus est, qui eum Consiliarium montanum & nobilem a Löwenstern creavit. Obiit in Sveciâ 1702 an. aetatis circiter 72. Ei debetur detectio Phosphorum ex urina praeparandi. Inter ejus opera eminent: *Observationes Chemicæ, & l'art de la Verrierie Parisiis 1762.*